

tua fama et gnatae vita in dubium veniet. tum si maxime 340  
fateatur, quom amat aliam, non est utile hanc illi dari.

quapropter quoquo pacto tacitost opus. *SO.* ah minime  
gentium :

45 non faciam. *GE.* quid ages? *SO.* proferam. *CA.* hem,  
mea Sostrata, vidē quam rem agis.

*SO.* peiore res loco non potis est esse quam in quo nunc  
sitast.

primum indotatast ; tum praeterea, quae secunda eī dos erat, 345  
periit : pro virgini darī nuptum non potest. hoc relicuomst :  
si infitias ibit, testi' mecum est anulus quem miserat.

50 postremo, quando ego consciā mihi sum a me culpam esse  
hanc procul

neque pretium neque rem ullam intercessisse illa aut me in-  
dignam, Geta,

experiar. *GE.* quid istic? cedo ut meliu' dicas. *SO.* tu, 350  
quantum potes(t),

abi atque Hegioni cognato huiu' rem enarrato omnem or-  
dine ;

nām is nostro Simulo fuit summus et nos coluit maxime.

55 *GE.* nām hērcle aliu' nemo respiciet nos. *SO.* propera tu,  
mea Canthara,

curre, obstetricem accerse, ut quom opu' sit ne in mora nobis  
siet.

*DE.* Disperii ! Ctesiphonem audivi filium  
una fuisse in raptione cum Aeschino.